



**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,  
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è  
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem  
Accommodata**

**Worpitz, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

§. 5. Praxis totius Orationis conficiendæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

**§. IV , De Peroratione.**

Hæc est totius orationis conclusio. Fit aut enumeratione aut amplificatione. De amplificatione jam dictum est suprà supplemento I. Enumeratio est brevis repetitio corum argumentorum quæ in confirmatione deducta sunt , cui tunc maximè dandus locus , quando longior fuit oratio. Et hic quidem cavendum , nè minuta repetantur, sed gravissima quæque , & in quibus momenti plurimum , ac totius causæ firmamentum fuit.

**§. V. Praxis totius Orationis Com-  
ficiendæ.**

Suppositâ notitiâ præceptorum , quæ hactenus de locis , argumentis , & argumentationibus, tropis, figuris, & amplificationibus sunt explicata. 1. ex omni rerum farragine, (materia enim Oratoris, sunt res universæ:) seligat aliquam , & de ea quaestionem instituat , v. g. an Rhetorica sit utilis , & jucunda ? hanc bene expendat , simplex ne sit, an composita , verbis propriis, an translatiis prolata. 2. dispiciat quibus rationibus , seu argumentis partem affirmativam, vel negativam probet, quæ ut inveniantur , eundem est per locos Rhetoricos , qui sunt argumentorum sedes; ex iis deligat, quæ

valentiora sunt, quæ infirmiora, aut dubia  
reijciat. 3. ex argumentis argumentationem  
conficiat v. g. syllogismum, vel enthy-  
mema, quorum praxis explicata est supra. 4.  
Argumentationes certo ordine collocet, ut  
aciem instruat ad victoriam, seu persuaden-  
dum, quis autem ordo servari debeat jam  
dictum. §. 3. Ubi tamen te monitum ite-  
rum velim, ut argumenta quæ ad fidem faci-  
endam, seu convincendum intellectum tan-  
tum faciunt, confirmationi inferantur; quæ  
ad motum seu assensum voluntatis epilogo,  
aut post rem probatam; quæ benevolentia, &  
attentioni conciliandæ deserviunt, exordium  
occupent. 5. accedat elocutio argumento-  
rum, seu deducatio per tropos, figuræ, & nu-  
merum oratorium. Illud autem potissimum  
amplificetur, quod est robur potissimum  
nostræ sententiæ ad persuadendum. Denique  
advertat, quis stylus seu character ac genus  
dicendi, materia, & fini tuo conveniat juxta  
dicta de triplici dicendi genere post numerum  
Oratorium. Porro an compositio re ipsa  
ab exordio vel à confirmatione sit inchoan-  
da, relinquitur eujusque arbitrio. Quin-  
tilianus cum Antonio a confir-  
matione incipiendum ex-  
istimat.

